

Hieronymum & *Synodum Constantinopolitanam* provocavit, eorumque verbis demonstrare annisus fuit: *Ecclesiam Romanam esse Apostolicam & Matrem omnium aliarum solam*. At enim vero de-
nuo confundit *Ecclesiam Romanam primam*, cum *Romana hodierna*, de quo discrimine legi potest *B. D. GÜNTHERVS* in *disputatione sua inaugurali*. Deinde misere torquet *Patres*. Nam eorum verba nil minus probant, quam hoc, quod *Corona* ex illis elicere studet. *TERTULLIANVS* in libro de *præscriptione* loquitur de *Apostolorum studio*, *Ecclesias colligendi*. Verba ejus hæc sunt: *Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum omnes unam probant unitatem*. Quid hoc ad *Ecclesiam Romanam hodiernam*? *AVGVSTINVS* partim de *Ecclesiis, Apostolico labore fundatis*, partim de *successione qualicunque Episcoporum*, quatenus *donatistis quodammodo opponi poterat*, agit. Quid? quod illa, ad quam provocat *AVGVSTINVS*, *successio*, *ipsis pontificiis fatentibus*, incerta est, ita, ut aliquid saltem contra *Donatistas*, nihil autem contra *Ecclesiam Evangelicam, a Papatu separatam*, probet, quoniam, in ista *successione* partim tuto non fidendum, partim etiam *erronei & vitiosi deprehenduntur Episcopi*. De quibus omnibus conferri meretur, *D. GÜNTHER* in *der Schutz-Schrift*, p. 213. *B. L. REISERI* *Roma non gloriosa*, *B. D. NIC. HVNNII* *Pellis ovina* & *B. D. JOH. BOTSACCI*, *gründliche Wiederlegung*, p. 242. 243. *IRENÆVS* pari quidem modo *successionem Episcoporum* urget, quia in *primitiva Ecclesia eadem valde celebrabatur*. Veruntamen de suo tantum tempore *sermocinatur*, nec certi quid ad *plenissimam veræ Ecclesiæ ostensionem eadem conferre potest*. *Vera utique fuit Apostolorum doctrina, & antiquus etiam Ecclesiæ status purus*; sed idem illud impedire non potuit, quo minus *Episcopi Romani, successu temporis, a veritatis Evangelicæ tramite aberraverint*, ut quidam *successores* in *Ecclesia Ephesina*. *Act. XX, 29*. *Optatus Milevitanus* recte dicit, quod *Hæretici sui temporis ab Ecclesia sancta fuerint concisi*: At vero exinde non sequitur, *hodiernam Romanam esse istam sanctam*. A *pura enim ad impuram, non valet consequentia*. *RVPERTVS* de *Ecclesia* agit, quatenus *super Apostolicæ fidei petra altius fundata est*. Sed eo ipso non dicit, *Petrum esse*

esse